



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Adversus Anti-Theses Oppositas  
Nuperis Thesibus nostris Theologicis, Id Est, Articulis  
Theologorum Lovaniensium Exhibitis Illustrissimo ac  
Reverendissimo Domino Archiepiscopo ...**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1685?]**

Conclusio Sexta. Patres Societatis non possunt se excusare, quo minus  
toti Theologorum orbi notas faciant suas sententias.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10960813-4**

## CONCLUSIO SEXTA.

*Patres Societatis non possunt se excusare, quo minus toti Theologorum orbi notas faciant suas sententias.*

**S**I contra conventionem initam Patres Societatis detrectent: vel jam suas sententias exhibere Illustrissimo Domino Archiepiscopo, enixè rogamus, ut eas saltem Theologorum orbi manifestare non vereantur. Nos utrumque fecimus, faciant illi posterius saltem: interest enim boni communis, ut sententias suas compendiosè & clarè publicent illi, qui toto orbe Catholico Theologiam profitentur & animarum directionem.

Justissimum etiam est, ut qui tam liberè culpant doctrinam nostram, suam quoque exhibeant; quò scire liceat, non solùm quid hic illeve disputando propugnet; verum etiam quid ipsi communiter & quid absolutè teneant: quas inquam veluti suas sententias haberi velint ab universis Theologis, ac potissimùm à Sede Apostolica, cui sententias ipsorum apertè & compendiosè expressas ac subjectas esse jure, ut videtur, postulamus; sicuti nostras apertè & compendiosè expressimus, ac subjecimus prout iterum subjecimus.

Agitur utrumque non de re levioris sed maximi momenti: nimirum de bonorum operum principio, de morum regulâ, de humanarum actionum scopo sive fine, & infinitis conclusionibus practicis inde confectariis; adeoque de doctrina, quam sive propter rei tractatæ dignitatem ac utilitatem; sive propter doctrinæ ipsius extensionem ac necessitatem palam profitendam censemus.

### P E R T I N E N S.

**U**bi RR. PP. juxta primam partem contractus tradiderint suas sententias Illustrissimo Domino, liberrimum illis erit agere de illis quæ voluerunt esse præliminaria; nimirum contra sententias nostras, prout ipsis placuerit, replicando iuxta secundam partem contractus, vel nos interrogando juxta partem quartam. Ad quid ergò volunt illa præmitti ut præliminaria; nisi ut numquam tradant suas sententias?

### A L I U D.

**L**ovaniensium sententiis sex tantum subscripserunt, nimirum illi, qui à parte alterâ præceteris impetuntur; si præter hos culpentur alii, rogo ut nominentur. quò possit etiam illorum subscriptio à nobis peti; prius tamen Patres Illustrissimo exhibeant suas sententias; etsi à paucioribus quam sex signatas.

### I I I.

**S**ententias nostras Illustrissimo Domino Archiepiscopo exhibitas, parati sumus in hac disputatione rursus defendere, adeoque veluti hic iterum expressas habemus.

### F I N I S.